270 126



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-secundâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXV.

M. JOANNE-NICOLAO MILLIN DE LA COURVEAULT,

Doctore Medico, Præside.

An congestioni abdominali lacteæ puerperarum acutæ, vulgò Febris puerperalis, *dicta Ipecacuanha?*

I

UTERUS *sexcentarum, in mulieribus, ærumnarum causa.* Sunt, ut ita dicam, cuique, debilis hujus sexus, ætatum periodo, proprii morbi. Vix florentis pubertatis limen salutarunt fœminæ, jam menstruis apparentibus, sæva ipsis noverca, immensum doloris stadium, natura, aperire videtur. Quot enim,

A

E

quantæ, quamque diversæ, per maximan vitæ curriculi partem, ab illis purgationibus, pravè se habentibus, sobolescant malorum species, neminem latet. Innumeras experiuntur vices, tum gestationis, tum ipsius partus decursu, gravidæ parturientesque. Nova tandem, sed non minus reformidanda, puerperas minantur pericula. Infantem vitæ commisit mater, & cum ipso, velut agmine facto, omnis generis, erumpunt undiquè morbi, in parentis perniciem.

Illas inter ægritudines, primas sibi vindicare, lacteam abdominis congestionem, *febrem puerperalem* dictam, uno ore fatentur omnes. Verum non ita consentiunt circa funestissimi morbi naturam, causas & curationem. Ab Hippocrate, ad nostrum usque tempus, medicorum scripta, de hoc morbo, accuratè perscrutanti, miranda sanè & fortè lugenda, sententiarum varietas innotescet. (*a*) Non nostrum tantam, inter tantos viros, componere litem. Sufficiat modo, ut dum Charybdim evitare conabimur, in scyllam non incidamus.

I I.

ANTIQUIS non ignotus hic, de quo agimus, puerperarum affectus; divum, quippè, senem coiim, multosque alios (*b*), non latuisse certum est; à néotericis (*c*), attentius observatum, accuratiusque descriptum fuisse, nemo negat. Paucis ab hinc annis, de puerperali morbo, clarissimi, ex professo, disseruerunt angli complures (*d*). At quantum debeant sævissimæ ægritudinis

(*a*) Alii inter quos *Willis*, *Etmuller*, & *White*, prædictum considerant affectum ut febrem putridam, ejusdem ac ipsamet carcerum febris, fermè naturæ; congestionemque abdominis esse purulentam docent.

Inflammatorium hunc morbum conclamant alii, cujus sedes, modo uterum, ex *Hoffmanno*, aliisque benè multis; modo intestina, vel stomacum, juxta *Hulmium*, & clar. *De la Roche*; modo omentum, asserente *Leakio*, occupat.

Nonnulli ut *Denmanius* & *Johnsonius*, puerperarum febrem, ex inflammatoriâ & putridâ Diathesi compositam statuunt, dum scilicet hanc primò statum inflammatorium, dein putridum percurrere prædicant.

Sunt tandem, ut Doctus *Ermerins*, qui illam, ex initio, merè gastricam esse tenent, ex sordibus primarum viarum, ipsâque bile depravatâ, ortam.

(*b*) Consule *Hippocratem*, de morb. mulier, lib 1. sect. 5. epidem. lib. 1. 3. &c.; *Paulum Ægi netam*, de re med. lib. 3. cap. 64; *Aëtium*, tetrab. 4. serm. 4. cap. 83, &c. &c.

(*c*) Videas potissimum *Willis*, tract. de febrib. cap. 16., *Etmuller*, oper. tom. 3. lib. 4. sect. 8. cap. 19. art. 2.; *Peu*, Pratiq. des Accouch. liv. 1. chap. 12. liv. 2. chap. 1.; *Puzos*, Trait. des Accouch. ex edit clar. *Morizot Deslandes*, D M. P. pag. 372.; *Pouteau*, Mélang de Chirurg. pag. 18.; *Levret*, Art des Accouch. part. . chap. 3. & imprimis clariss. *De la Roche*, Genev. Méd. Recherches sur la Nature & le Traitement de la Fièvre puerpérale.

(*d*) Doctores scilicet *Denman*, *Johnson*, *Millar*, *Mannings*, *Hulme*, *Leake*, *White*, *Kirkland* & *Butler*, in operibus variis, anglico idiomate conscriptis, quorum titulos hic referre supervacaneum duximus.

notitia, imprimis que curatio, experientiſſimis, ſaluberrimi noſtri lycæi, magiſtris, xenodochiorum præſertim curæ præpoſitis, quis inficias eat (*e*)?

Invadit, igitur, ægram ſubitò morbus, abſque ullo prævio ſymptomate. Prægnationem, omni incommodo immunem, feliciorem que partum, ſæpe ſæpius ſubſequitur. Tertiâ, poſt infantis è ſinu materno excluſionem, die, ordinario apparet; quandoque citius, ocyus raro. Tumet tunc abdomen; dolores experitur vehementiſſimos; non imminuuntur lochiæ; mammæ nedum turgeant, citò fatiſcunt; febris oritur ſenſibus obvia, moderata tamen; pulſus eſt parvus, concentratus, pauliſper acceleratus; exhauriuntur vires. Priora hæc ſigna, morbi verè pathognomonica, cunctis ægris ſunt communia.

Ab aliis quandoque ſtipantur, ſed non in omnibus circumſtantiis; horrore, ſcilicet, plus minus-ve intenſo, in morbi invaſione exiſtente; vomitu materiæ virideſcentis, vel ex albo flaveſcentis; ſæpiſſime verò nauſeis abſque vomitu; diarrhæâ, denique, lacteâ & fœtidiſſimâ; caligant oculi; vultus decoloratur; lingua, ut vulgo ſolet, humida, ſed muco operta albo, ſpiſſo & ad baſim, ut plurimum, ex flavo virideſcente, deprehenditur. Deſcripta mox ſymptomata primâ invaſionis die prodeunt.

Paucis in horis ingraveſcunt; exilior & ſerratus fit pulſus; ubera remanent flaccida; lacteæ criſi nequaquam locus eſt & brevi dolores abdominis atrociſſimi intolerabiles que evadunt.

Verſus ſecundæ diei finem, aut durante tertiâ, procelloſis motibus ſuccedit damnoſa quies. Jam, jam ſudor frigidus & glutinoſus univerſam cutis pæripheriam occupat; dejectiones alvinæ & lochiæ fœtiditatem concipiunt maximam; tremulus fit pulſus & depauperatus; adeſt delirium & tandem mors ſequitur promptiori pede, quæ ſæpius ægrotantis cruciatibus, tertiâ decedente aut veniente quartâ morbi die, finem imponit.

(*e*) In actis Academ. Reg. Scient. Pariſ. anni 1746, pag. 160. clar. *Malouin*, annotat. ſagaciſſ. D. D. *Col. de Villars*. *Fontaine*, & Ant. *De Juſſieu*, illum obſervaſſe morbum, duo ſcilicet Priores, in magno Pariſienſi noſocomio, poſterior autem in Urbis puerperis infimæ conditionis.

Celeberr. *De Bordeu*, illius apprimè indigitavit cauſam, in eximio opere cui titulus, *Recherches ſur les Maladies Chroniques*, pag. .

Novas, de hâc peculiari puerperarum affectione, obſervationes, in commentariis Facultatis in ſcripſerunt, anno 1777, ſapientiſſ. mag. *Sigault & Solier*. Hic ultimus noſocomii magni medicus, poſtea, menſe nimirùm ſeptembri anni 1782, ſuo & collegarum, celeb, ſcilicet *Dejean*, *Majault*, *de Montabourg*, *Danie*, *Philip*, *Mallet*, *Duhaume* nomine, ſaluberrimæ Facultati ſolemniter convocatæ, fidelem morbi hiſtoriam, tutamque curandi methodum, à clariſſ. *Doulet*, nuperrimè defuncto, feliciter uſurpatam, communicavit. Hæc methodus à vigilantiſſimo decano M. *Philip*, Facultati jam prænuntiata fuerat menſe junio, proximè elapſo. Medicorum noſocomii commentatio Typis, juſſu & ſumptibus Facultatis, demandata fuit.

Illam tandem Academiam, eodem tempore, obſervationum, quas in Hoſpitio ſuburbii dicti *de Vaugirard*, ſedulo collegerat, participem fecit, non ſatis laudandus M. *Doublet*, qui doctrinam ſuam deinde amplius promulgavit, in eleganti operis D. *de la Roche*, relatione. Vid Diar. Med. 1782. tom. 58. pag. 55. 445. 448. & 502. 1783. tom. 60, pag. 14. & tom. 61 pag. 3.

Secta demortuarum cadavera, congestionem manifestò lacteam, in abdominis cavitate propriâ diffusam, exhibent, ex cujus præsentiâ, solidarum hujus organi partium naturalis status & consistentia plus minus-ve alterantur; integritate tamen uteri, non nisi rarissimè, læsâ. Quantitatem duarum aut trium librarum adæquat latex hic, seri lactis non clarificari indolem referens, odore fœtidissimo præditus, non nullisque, albidissimis, lactis coalescentis refertus frustulis, quorum pleraque superficiei intestinorum extimæ adherent (*f*).

I I I.

VARIIS, & certè gravioribus, exaratis accidentibus, natales præbere; lactei humoris in puerperarum abdomine metastasim, demonstrat attenta morbi consideratio. Quænam verò sit metastasis illius causa; & si arduum sanè & cognitu difficillimum, pro viribus explanare tentabimus. Illam in aëris pravâ diathesi reponere nobis liceat.

Aërem pabulum vitæ, sanitatis columem, homini absolutè tum externè, tum internè necessarium esse, nemo nescit. Externa illius summa necessitas, pressione, ab ipso illatâ in vasa, evincitur; quæ si deficeret, extrà modum sese expanderent, debitumque amitterent tonum. Inconcussa pariter est illius necessitas interna. Inspiratione juvante, corpus subit animale aër spirabilis, aucto spatio, pulmone dilatato, circulationi favet sanguinis. Purpureo dein commixtus latici, quocum partim combinatur, ad humorum secretiones excretionesque confert; forsan ope materiæ igneæ combinatæ, quæ ejus compositionem integrat. Cùm alimentis quoque ingeritur, lacteorum oscula vasorum occupat & spiritum, si ità loqui fas est, vivificantem, antisepticum, singulis partibus, ad nutritionem, firmitatem & salubritatem communicat.

Porro si quâcumque de causâ vitietur aer atmosphæricus, vel ingestus vel inspiratus, majoremque, quàm par est, accipiat fluidi mephitici quantitatem (*g*), functiones tum vitales, tum naturales lædantur oportet. In puerperis autem,

(*f*) Periculosi, de quo agimus, affectus & acutissimi, non raro epidemicum contagiosum-ve caracterem induentis, tres agnoscit species citatus M. *Doublet*, *Mémoire sur la Fievre à laquelle on donne le nom de Fievre puerpérale.*

In priori *Ephemera* nuncupatâ, parvi momenti, intra viginti quatuor post partum horas, puerperas invadenti, adsunt ventris intumescentia. dolor; apparet febris, brevi, ceteris cum accidentibus, locum lacteæ revolutioni cessura.

Secundam seu *puerperalem proprie dictam febrem*, mox delineavimus.

Tertia quam *Tardam*, appellat. clar. Doctor, nutricibus propria est. In hâc ultimâ specie lac in mammis, jam de longo tempore secretus, illas vel subito vel sæpius lento gradu deserit, abdominalem cavitatem penetrat, sævas que descriptas tragedias agit. Clar. *Leake & De la Roche*, distinctionem analogam in puerperali febre admittunt passim.

(*g*) Juxta recentiorum & præsertim celeberrimorum *Presley & de la Voisier*, Physica tentamina;

præprimis lactis genesis & distributio subvertitur. Aer, scilicet, intrà tubum intestinalem coërcitus, alterationis externi aëris particeps, impedit quominus blandi, materni, oleosi que humores, qui, cum chylo mixti, materiem lactis præbent, ex arteriis hypogastricis ad mammares conscendant arterias, ipsarummet mammarum vasa impleant & distendant, vel saltem, jam secretum, in galactophoris ductibus, succum, ex superioribus ad inferiora devehant, habitâ ratione amissionis convenientis motus intestinorum, abdominalium que viscerum, tonici. Sed ubi, quæso, insalubriores acquirere poterit proprietates, aer, quàm in nosocomiorum cubiculis, parturientibus destinatis, qui sedulo clausi sunt, magnâque ægrotantium copiâ referti? In illis, certè, duplex inuritur aëri labes, & respiratione, & insensibili transpiratione, ex quibus producitur fluidum valde mephiticum, respirationique nequaquam idoneum (*h*).

Insuper aëris vitiati, fatalis in puerperus influxus, energiæ & actioni, jungi possunt, non spernendi errorum in dietâ, frigoris, animi anxietatis & similium, effectus sæpissime nocivi.

I V.

MULTIPLICES artis conatus, auxiliatricis-ve naturæ molimina, ad nostrum usque ævum, pari gressu effugerat truculenta hæc puerperarum affectio. Infaustum semper exitum experiebatur, immensa medicaminum internorum ac externorum farrago, plenâ manu propinata. Congestionem, extra vias circulationis accumulatam, dissolvere, jam jam impossibile, merito prædicaverant, solertissimi in arte magistri. At illi præcavere quid clinico dignius?

Stabit ne otiosus acerbi eventus spectator, dum ad orci fauces trudit ægras, frustra institutus pharmacorum usus? Minimè. Quæ sese produnt symptomata, in remedii delectu, clarissimum *Doulcet* hærere nequaquam sinunt. Sagacissimo naturæ scrutatori, ventris tormina, mammarum depressio, prostratio virium, nauseæ, vomituritiones, subindicant hærentem in secundis viis colluviem lacteam, nimiam

comprobatum est aërem atmosphericum duobus fluidis elasticis constare, aëre scilicet dephlogisticato seu eminenter respirabili & aëre phlogisticato sive mephitico: ita ut proportio prioris ad posteriorem, sed ut 1. ad 6. vid. exper. & observ. sur differ. esp. d'air.... Opusc. phys. & chym. &c.

(*h*) Per experimenta, à physicis supra citatis, instituta, constat, aërem pulmones subeundo, nativam qualitatem amittere, ope absorptionis partis dephlogisticatæ, unde prædominium acquirit phlogisticata portio, seu mephitica, aëri atmospherico, per expirationem, restituenda.

Scimus etiam, ex observationibus comitis *de Milly*, & jam laudati *De la Voisier*, jugiter, ex pæripheriâ corporis per poros, effluere substantiam aëriformem, cum fluido mephitico maximè analogam. Confer. acta Acad. Reg. Paris. 1777.

que fibrarum laxitatem, ex laticis deviati pravâ indole, oriundam. Quid tunc fit agendum in promptu eſt. Congeſtos humores foras amandare, ſecundarumque viarum, nimis laxatum tonum & ſopitas vires excitare, & roborare tentabit : quod mirè preſtat ipecacuanha. Actionem igitur exerit, veluti ſpecifica, radix braſilienſis, vel virtute quâdam ſubaſtringenti & leviter tonicâ, vel perturbatricium virium ope, proritando ſcilicet & convellendo univerſum inteſtinale ſiſtema.

Talis eſt exhibendi modus. Invadente morbo, nec mora nec requies ; quindecim adhibentur ipecacuanhæ grana, in duas doſes diviſa, horæ & ſemiſſæ interpoſito intervallo, inſumenda ; necnon craſtinâ reiteranda die, recrudeſcentibus vel etiam mitigatis ſymptomatibus. Tribus aut quatuor vicibus, per totidem dies, mollis hujus emeſis, continuatur uſus ; pro urgentium accidentium neceſſitate ; quod rariſſimè evenire, edocet praxis clinica. Vegetalis vomitorii actionem proximè ſubſequi debet potionis hauſtus, ex olei amygdalarum dulcium unciis duabus, ſyrupi altheæ unâ unciâ, kermeſque mineralis granis uno & altero, cochleatim exhibendæ. Potus verò ordinarius conficitur ex infuſione lini ſeminis aut radicis ſcorzoneræ, admixtâ, edulcorandi causâ, ſufficienti quantitate altheæ ſyrupi. Septem, denique, ab invaſione morbi, octove elapſis diebus, blanda catharſis in uſum venit, ex duabus v. g. mannæ unciis, unâque ſalis de duobus drachmâ, conflata ; huic major energia, alia addendo medicamina, conciliari poteſt, terque aut quater repetitur, circumſtantiarum, indicantium ve habitâ ratione.

Sic ad meliora revocantur fata puerperæ : ſic ſalvas & incolumes has preſtat, ſimplex ſimul & methodica agendi ratio, efficax potiſſimum, ſi tempore opportuno uſurpetur. Verum, quod notatu dignum judicamus, ſanantur ægræ, etſi revolutionis lacteæ expertes omnino remaneant. Lac ad ubera parum vel minimè tendit. Congeſta aut deviata materies per alvum ſubducitur ; cùm lochiis fluit ; tandemque diaphoreticis diureticis-vè meatibus foras eliminatur. Sæpiſſimè quoque judicatur affectus hic, anaſarcâ quadam lacteâ, aut eruptione cutaneâ ejuſdem indolis. Lentè convaleſcentium membra torpore quodam, haud ſecus ac in chronicis rheumatiſmis, gravantur ; aut etiam muſculoſis in partibus ſeſe exhibent critici abſceſſus.

Methodum autem prophylacticam in hoc potiſſimum ſitam credimus, ut cauſæ corrigantur morbi prædiſponentes ; aëris, itaque, ſalubritati quoquomodo invigilabitur ; errores vitabuntur in diætâ ; animi curis & anxietatibus obviam ibitur ; arcebitur frigus ; convenientibus mediis fovebitur inteſtinorum tonus ; ſuccioque demum uberum ſtatim à puerperio inſtituetur.

V.

SI quid in arte medicâ, tanquam verum & inconcussum spectari potest, illud, certè, quod, huc usque, prosecuti sumus; morbum nempè puerperalem à deviatione lactis & ejus in abdominis cavitate congestione, proximam originem ducere; dum, humoris revolutionem ordinariam procurare, natura recusat. Affectionem, itaque, esse *sui generis*, vel leviter attendent patebit; quidquid ex adverso reclament scriptores medici nonnulli aliundè summis laudibus extollendi. (*i*) Dari quandoque putrida symptomata, inflammatoria quandoque, non negamus: sed illa, esse tantummodo secundaria & à morbo producta, enixè contendimus, genio illius & curatione congruâ freti.

Ast, inquient, congestio lactis in abdomine, ejusdem revolutionis, à naturâ statutum præit tempus: non ergò febrem causat puerperalem. Sed quis neget, graviditatis periodo, sic disponi mammas, ut lac jam incipiant secernere, imprimis circà parturitionis tempus.

Urgent iterum: difficillimum est animo concipere, vel levissimam humoris blandi quantitatem, posse abundantiori locum dare congestioni & exinde atrocibus ventris torminibus, virium que prostrationi. Mirandus quidem, sed demonstratus irritationis effectus est, quæ totam lactis in vasis & humoribus contenti massam, versus abdomen trahit. Nec obstat decantata laticis blandities. Opus non est, ut quòdammodo tantum, à naturali suo statu deflectat; solus illius motus abnormis, & contra naturæ ordinem, à solitâ viâ, deflexio, sufficiunt ad gravissima phœnomena inducenda.

Curandi methodum quoque adhibitam incusant. Alia alii proponunt remediâ, antiphlogistica, cathartica, tonica, roborantia, sudorifica, acidula, vesicantia, balnea. Ipecacuanhæ efficaciam comprobavit experientia. Ad illam radicem, tanquam ad sacram anchoram, confugiendum. Puerperæ symptomatibus descriptis cruciatæ auxiliaturus accersitur medicus. Quid tunc? Num ad venæ sectionem recurret? Ast celebratâ iteratâque venæ sectione fere semper recrudescit morbus. Num propinanda cathartica, tonica, roborantia, sudorifica, acidula. Ab iis quidem, cautè exhibitis, aliquid forsan expectandum levaminis, sed urgentiora non sinunt accidentia. Num vesicantibus locus? Sed parum juvant: numquam ad balnea recurrendum. Exhibeatur autem vegetabilis emesis, evanescit malum, ita ut illud manu

(*i*) Illos inter, hunc paradoxum stabilire, omni ope atque operâ satagit Doct. J. P. *Ermerins*; in dissertatione medicâ, Lugduni Batavorum, anno 1782, propugnatâ; opus certè profundâ eruditione refertum; sed, ni fallor, meris ratiociniis & authoritatibus, non clinicis observationibus fultum. Cunctas puerperarum ægritudines, author, ad illam quam, cum omnibus, febrem puerperalem nuncupat, referre videtur: quod experientiæ consentaneum, nemo, nisi in rebus medicis planè hospes, dixerit.

ablatum diceres. Doctissimorum itaque & expertorum medicorum vestigiis insistentes, jure ac meritò concludimus.

Ergo congestioni abdominali lacteæ puerperarum acutæ, vulgò febris puerperalis *dictæ, Ipecacuanha.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Matthæus GERAUD.

M. Joannes-Augustinus COUTAVOZ, *Chirurgiæ Gallico idiomate Professor.*

M. Joannes-Baptista-Eugenia DUMANGIN.

M. Thomas LEVACHER DE LA FEUTRIE, *Antiquus Facultatis Decanus.*

M. Bertrandus DUPUY.

M. Joannes COLOMBIER.

M. Joannes-Carolus DES-ESSARTZ, *Antiquus Facultatis Decanus, Regii Medicorum Collegii Lugdunensis Socius.*

M. Hyacinthus-Theodorus BARON, *Antiquus Facultatis Decanus, nec-non Castrorum Regis & Exercituum in Germania & in Italiâ Proto-Medicus.*

M. Ludovicus-Maria POUSSE, *Antiquior Scholæ Magister, Eques & Censor Regius, in gremium Facultatis exceptus anno 1732.*

Proponebat Parisiis, CAROLUS-NICOLAUS BEAUVAIS DE PRÉAU, Aurelius, Doctor Medicus Bituricensis, Aurelianorum Medicorum Collegii Aggregatus, ejusdem Urbis è Regiâ Rei Agrariæ Societate, Regiæque Physices, Historiæ Naturalis & Artium Societatis, olim, Secretarius perpetuò ordinarius, Academiarum Divionensis & Rhotomagensis, nec-non Collegi Medicorum Nanceiani Socius, Censor Regius & Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A.R.S.H. 1785.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, viâ dictâ *du Fouarre*, 1785.